

Emendationes Tacitinae.

Antequam ad locos aliquot in Taciti Annalium libris XII. XIII. XIV emendandos progrediar, liceat mihi erroris mentionem iniicere, per omnes recentiores editiones propagati, ne Waltheri quidem et novissima Bekkeri editione excepta. Nimirum res inde ab initio libri XII usque ad cap. 4 descriptae, quae gestae erant A. Vitellio et L. Vipstano consulibus, anno 801 V. C. 48 p. Chr. n., temere referuntur ad annum 802 V. C. 49 p. Chr. n. unde factum est, ut extremo libro XII cap. 69 Nero III. idus Octobris anni 808 V. C. 55 p. Chr. n. imperator consalutatus esse fingeretur, quanquam re vera id factum esse anno 807 = 54 constat inter omnes. Et sic per sequentes quoque libros temporum ratio confusa est, ita in iustum ordinem redigenda, ut ultimus Annalium annus lib. XVI, 14 – 35 restituatur 819 V. C. 66 p. Chr. n. pro numero 820 = 67 hodie vulgato, eodemque modo redeatur usque ad annum 801 = 48, qui complectitur extremum librum XI atque initium libri XII.

Lib. XII, 20 med. Quin arriperet oblata et servaret exsulem? Quin inopi quanto — fore. Sic reponendus est hic locus ex codice Florentino, omnium antiquissimo, quem cum Bekkero brevitatis causa designabimus Ma. Etiam cod. Guelferbytanus (G) et reliqui, ut videtur, omnes consentiunt in particula *quin* bis posita, quae in priori membro idem valet quod *cur non*, ut saepius, cum vi interrogativa, in altero idem quod *quin etiam*, *ja sogar*. Itaque nimis indulgenter Lipsio obsequuti sunt editores recentiores, contra codicum auctoritatem pro altero *quin* supponentes *cui*.

XII, 35. extr. fratresque in deditionem accepti. Sic reponendum ex Ma. pro vulgata lectione *fratres quoque*, ex glossemate haud dubie profecta. Sic enim Tacitus subinde verbis subnectit particulam *que*, ubi plerumque ponitur *et, etiam, quoque*. Exempla ab ipso Tacito repetita in prom-

ptu sunt: Ann. I, 65 et eodemque. II, 37 censusque iuvit. IV, 74 donec idque vetitum. VI, 33 dat Parthorumque. XIV, 28 auxitque patrum honorem. XIV, 42 usque ad seditionem ventum est senatusque. Hist. III, 48 ut fracto Vitelli uxercitu urbemque fame urgeret. Agr. 17. super virtutem hostium locorumque difficultates eluctatus: sic Mss. sed editores inde ab Rhenano hic quoque corruperunt locorum quoque: quem admodum ceteris quoque locis sequuti sumus auctoritatem codicis Ma. non editores recentiores. cf. Heinrich. ad Ciceron. de re pub. p. 167. Ramshorn. Gramm. Lat. p. 812 not. 4.

XII, 40 extr. ne divisa haud proinde ad memoriam sui valerent. Sic legitur in cod. Ma. pro vulg. perinde. Sed Tacitum promiscuae usum esse particulis proinde et perinde (i. q. $\delta\mu\omega\iota\omega\varsigma$) pluribus locis comprobatur, primum ex cod. Ma. emendatis. Paulo inferius cap. 60 decretaque eorum proinde haberi iusserat. XIII, 21 neque enim proinde a parentibus liberi quam ab impudica adulteri mutantur. XIII, 47 proinde tamen, quasi convictus esset, cedere patria iubetur. XV, 44 haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Hist. I, 30 proinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis. II, 97 proinde socii de imperio utriusque coniectabant. Agr. 10 mare ne ventis quidem proinde attolli. Germ. 5 possessione et usu haud proinde afficiuntur. cf. Passov. ad Germ. p. 7. Walch. ad Agr. p. 191.

Lib. XIII, 8. med. cohortibus aliis quaeque Cappadocia hiemabant. Ita scribendum ex cod. Ma i. e. additis et aliis cohortibus et iis potissimum, quae in Cappadocia hiemabant. cf. XV, 6. Attractionis genus Tacito familiarissimum. Similiter II, 41 triumphavit de Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. II, 74 consultatum inter legatos quique alii senatorum aderant. XI, 3 percursis Asiatici officiis quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur. XIV, 31 commotis Trinobantibus et qui alii pepigerant. Eadem loquutione sexcenties utitur Tacitus, eius-

que originem sagaciter explanavit G. T. A. Krügerus in libro optimaе frugis plenissimo, qui inscribitur *Untersuchungen aus dem Gebiete der Lateinischen Sprachlehre* fasc. III p. 181 seqq. — *Cappadocia* dicitur pro *in Cappadocia*, velut Ann. XII, 36 *stetere in armis praetoriae cohortes campo*. Hist. III, 19 *coloniam plano sitam*. — Vulgo hic editur *cohortibus alisque quae apud Cappadociam h.* Bekkerus ex coniectura dedit *in Cappadocia*; ceteroquin vulgatam sequutus, invito codice Ma. cuius veram lectionem primus publicavit. — Mox cap. 9 ex eodem cod. Ma restituendum *ad Vologesem regem* cett. quam quidem argutam dicendi brevitatem quum librarii non intellexerint, in ceteris libris omittitur praepositio *ad*, hodieque vulgo sic editur. Explica: uterque nuntiis ad Vologesem missis eum monebant. Iam quia notio mittendi iam inest in substantivo *nuntiis*, Tacitus ipse quod sibi abundare videbatur omisit.

XIII, 46 *at Neronem pellicem ancillam*, sc. esse, quibus verbis Nero opponitur Othoni, quem animo et cultu magnificum praedicavit Poppaea. Germanam Taciti sententiam, qualis Poppaeae menti ac moribus maxime convenit, reposuimus ex cod. Ma *pellicem ancillam*, Victorio teste, unde vulgo extricarunt *pellice ancilla*: quibus verbis ineptam prodiere tautologiam vere perspexit Waltherus, quamquam ipse viam sequutus esse videtur satis lubricam atque vix ad finem ducentem. „Nam quae est, inquit, *pellex ancilla*? Scilicet „*Acte*. Igitur Nero pellice ancilla, h. e. Acte, et adsuetudine „*Actes*, h. e. pellicis ancillae, devinctus dicitur.“ — Ad has ineptias haud dubie illecti sunt librarii et editores propterea quod *pellicem* mulierem tantummodo, non simul virum esse putarunt: sed eos docere poterat Festus de significatione verborum lib. XIV p. 121 ed. Lindemann. *Pellices nunc quidem appellantur alienis succumbentes non solum feminae, sed etiam mares*. Iam vide, quanta acerbitate Poppaea Neronem nuncupaverit *pellicem*. Etiam Dolabella Iulium Caesarem *pellicem reginae* appellasse memoriae proditur a Suetonio c. 49.

XIII, 49 quin de bello — suadere dissuadereve?
 Sic legitur in cod. Ma et reliquis libris hucusque accuratius inspectis, Budensi et Guelferbytano, unde Lipsio auctore vulgo edunt *suaderet dissuaderetve*, Tacitinae videlicet loquendi rationis parum intelligentes. C. F. Heinrichius etiam apud Ciceronem de re pub. p. 17 constructionem notavit, quae fit per infinitivum, praegresso relativo pronomine. „Qua constructione Latini utuntur hactenus: Graeci ulterius, qui „tales infinitivos etiam particulis subnectunt relativis.“ Iam exempla eiusmodi apud Tacitum extant haud pauca. Ann. I, 5 *quod Maximum uxori Marciae aperuisse*. IV, 40 *de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras*. VI, 28 *eique vim genitalem affundere ex qua fetum oriri*. IV, 41 *quis abesse taedia et offensiones*. VI, 29 *uxore, quam periculi expertem fuisse*. XI, 15 *accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas: — quod nunc segnius fieri*. Iam Heinrichius quidem, quum diceret ea constructione uti Latinos hactenus, sine dubio Ciceronem ante oculos habuit et elegantissimum quemque aetatis aureae scriptorem, non Tacitum (ne Livium quidem), qui Graecorum, ut passim, exemplar sequutus, etiam particulas relativas, *ubi, unde, quanquam, quin*, i. q. *cur non*, cum infinivo iunxit. Sic Ann. III, 61 *ubi Latonam edidisse ea numina*. IV, 65 *unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum*. XII, 65 *quanquam ne impudicitiam quidem nunc abesse*. Ad haec exempla accedit id, quod in fronte huius animadversionis propositum est. In his sententiis particulae relativae ita explicandae sunt, ut eas ad instar pronominis relativi ex particula copulativa et demonstrativa conglutinatas esse ponamus, *ubi ex et ibi, unde ex et inde, quanquam ex et tamen, quin ex neque eam ob rem*. De eadem apud Graecos structura praeter Hermannum ad Vigerum consule Matthiae Grammaticam p. 1057 sq.

XIII, 55 velletne contueri, sic cod. Ma ad unicum

solem spectans, non simul ad reliqua sidera, quorum rationem habentes ceterorum codicum librarii finxerunt *vellentne*, quod hodie vulgatur. Frustra. Nam illud multo fortius atque simplicius, propterea quod solis calore agri ad hominum usum praecipue aptos sese praebeant. — Etiam paulo inferiori ex eodem codice M₄ scribendum: *potius mari superfundere*, i. e. sol potius vellet mare fundere super eos agros, pro vulg. *superfunderent*, sc. sol atque sidera.

XIV, 35 *feminarum dictu*, sic Ma pro vulg. *ductu*. Notum est quidem ex Agr. 16 Britannos Bondicea generis regii femina duce universos bellum sumpsisse, neque sexum in imperiis discernere; porro c. 31 *Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra*. Sed ib. c. 52 coniuges dicuntur *accendere* maritos ad pugnandum, quemadmodum Germ. 7 *coniuges hortamina pugnantis gestant*. Hinc intelligitur Britannos non solum *feminarum ductu*, sed etiam *dictu*, i. e. feminis adhortantibus vel accendentibus (*auf Zuredender Frauen*) bellare solitos. Similiter Germ. 8 *memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum*. Ac ne quem offendant supinum cum genitivo iunctum vel potius ablativus substantivi verbalis, prohibent exempla, qualia sunt Ann. I, 60 *missu Germanici*. III, 21 *missu patris*. II, 80 *earum accitu*. Hist. III, 81 *admonitu modestissimi cuiusque*. Livius III, 62 *consultu collegae*. Cicero de orat. III, 1 *vocatu Drusi*. cf. Boetticheri Prolegomena ad Lex. Tacit. p. LVII.

XIV, 42 *usque ad seditionem ventum est senatusque, in quo ipso erant studia cett.* Sic cod. Ma cum ceteris MSS. Explica: usque ad seditionem ventum est non solum plebis, sed etiam senatus, in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, quae tamen seditio (vel potius dissidium) senatus ita comparata erat, ut plures nihil mutandum esse censerent. *Senatus* igitur genitivus est, dependens a voce *seditio*, adiecta particula *que*, de cuius vi supra disputavimus ad lib. XII, 35.

Iam nescio an supersederi possit Lipsii coniectura *senatuque in ipso*, quae per omnes editiones recentiores propagata est.

XIV, 46 qui accusatum ab eo Statilium Taurum pro consule ipsius meminerant. Ita scriptum est in cod. Ma pro vulg. *Taurum proconsulem ipsius.* Sed illa lectio defenditur ex consuetudine dictionis Tacitinae, ab editoribus quidem subinde turbatae, attamen ex optimis vetustissimisque codicibus restituendae. Sic Ann. II, 52 *pro consule Africae.* II, 66 *pro praetore Moesiae.* III, 32 *de legendum pro consule gnarum militiae.* III, 38 *Caesium Cordum, pro consule Cretae.* IV, 21 *pro consule eius anni P. Dolabella retinere ausus erat.* IV, 73 *L. Apronio inferioris Germaniae pro praetore.* XI, 23 *in hanc provinciam pro consule venies.* XII, 31 *Ostorium pro praetore turbidae res exceperere.* Dubia est lectio Ann. IV, 13, ubi codex Florentinus compendio scriptum exhibet *procons. ulterioris Hispaniae*, unde et *proconsul* et *pro consule* extricari licet. Ernestii ratio, qui *pro consule* semper absolute dici contendit, non cum genitivo provinciae, refutatur exemplis supra propositis.

Iam denique animi causa refingamus locum in omnibus editionibus miro modo corruptum, Ann. VI, 45 obviivium: *impuleratque — uxorem suam Enniam imitando amore iuvenem illicere pactoque patrimonio vincire.* Sic enim scribendum, sensu etiam atque etiam flagitante, ex lectione codicis Florentini *pactoque matrimonii patrimonio vincere*, unde editores ad unum omnes hucusque elicuerunt *pactoque matrimonii vincire (durch Eheversprechen fesseln)*. Sed explices mihi velim, quomodo Ennia, Maeronis uxor, pacto matrimonii Caligulam ita vincire potuerit, ut nihil abnueret, dummodo dominationis adipisceretur. Quid multa? Vulgaris lectio, si ulla, Tacito indigna est. Veram ac germanam lectionem supra restitutam sic fere expedit: *Macro uxorem suam impulerat, primum ut imitando amore iuvenem illiceret, deinde ut pacto patrimonio (i. e. promisso*

principatu) *eundem vinciret, nihil abnuentem, dummodo dominationem adipisceretur*. Macro enim iuxta amoris illecebras promissa etiam successione imperii Caligulam vincire studebat, ad quam quidem spem in iuvenis animo nutriendam uxoris intercessione usus est. Iam *patrimonium*, quod proprie est res familiaris a patre relicta, commodissime transferre licet ad principatum, cuius successio a Germanico patre Caligulae filio tanquam hereditate erat tradita. Macro igitur una cum uxore Caligulae gratiam ita potissimum sibi conciliavit, ut ipsum legitimum imperii Romani heredem et Tiberii successorem nuncuparet, eique ad principatum capessendum opem suam promitteret, eam quidem minime contemnendam, propterea quod Macro ut praefectus praetorii (cf. VI, 15) insigni potentia florebat, etiamsi non prorsus eadem, Sciani tamen paene simili. Et Macro postea praestitit etiam operam suam in summo discrimine, ut relatam est Ann. VI, 50.— Ex eodem cod. scribendum *imitando amore, dadurch dass sie Liebe heuchelte*, nisi quod in cod. ipso *amorem* legitur, inter vicinos accusativos *uxorem, iuvenem* h. l. vix tolerandum: in margine tamen appictum est *immittendo*, quod praeter Bekkerum omnes editores receperunt, licet iidem bene intelligentes, quam ambiguam haec glossa reddat sententiam. Ceterum *impulerat — illicere* Graeco more dicitur, ut saepissime apud Tacitum. Restat explicandum, quomodo verbum *matrimonii* in textum irrepserit. Haud dubie librarius nescio quis hoc loco, velut omnes editores, propter Enniae amorem etiam de matrimonio cogitavit, et coniecturam *matrimonii* pro *patrimonio* margini appinxit, quam codicis olim Corbeiensis, hodie Florentini librarius una cum Taciti *patrimonio* in ordinem recepit.

Scripsi Vratislaviae extremo mense Ianuario anni MDCCCXXXII.

Nicolaus Bachius.
